

QUÆSTIONES MORALES

RT REV. MGR PROF. C. BONNICI, B.L.CAN., D.D.

CASUS MORALIS PRIMUS

Titia gravi morbo affecta et quasi certe moritura ex nova conceptione, allicitur a medico ut, statim ac peracta copula cum marito, qui nullo modo se vult continere, lotionem adhibeat ad semen ejiciendum. Elapsis pluribus annis, Titia conscientia permota rem exponit Sempronio confessario suo, qui eam severe redarguit cum hic modus agendi Titiae sit graviter illicitus. Sed provoluta ad pedes Caii confessarii, apprehendit se tuta conscientia hanc praxim servare posse, quia in casu haberi potest ut mulier vi iniuste oppressa.

Quaeritur :

Quid ad casum?

Solutio hujus casus, qui prima facie quamdam difficultatem praebere potest, liquido fluit ex quibusdam principiis in re morali ab omnibus doctoribus traditis, quae, antequam affirmationem utriusque Sempronii et Caii, Titiae confessariorum diudicemus, clare exponere volumus.

Crebro enim contingit ut in hujusmodi quaestionibus sat subtilibus, medici catholici bona fide praescribant ea quae cum morum principiis pugnent, quia ipsi numquam accurate in hujusmodi quaestionibus solvendis instructi sunt; neque postea peritos sacerdotes interrogant, sed pro consuetudine plerorumque laicorum aevi nostri se sibi metepsis dirigendis plane sufficere autumant.

Status quaestionis :— Titia conjugata de consilio medici utitur lotionem vaginali immediate post copulam conjugalem ad semen expellendum ne habeatur possibilitas conceptionis, ex qua de iudicio medici, Titia poneretur, ob aliquem morbum, in certo proximo periculo mortis. Finis ergo Titiae in hoc modo agendi est praecise ad vitandum periculum proximae vitae, sed finis operis, seu lotionis vaginalis est praecise et immediate ad semen expellendum :

Videndum est ergo utrum in casu uti enarrato, finis operis seu expulsio seminis immediate post copulam conjugalem sit

actio in se intrinsece mala, ita ut, etsi finis Titiae sit bonus, actio in casu coonestari nequeat cum sit ex objecto mala. Etenim non sunt facienda mala ut eveniant bona.

Principia :

I. Certum est conjugem non teneri reddere debitum, si inde grave damnum, quod matrimonio non est per se annexum sibi iuste timere debeat. Ratio patet. Hinc si grave periculum vitae vel sanitatis ex prudenti iudicio medici timendum sit, mulier non tenetur reddere debitum. In his adjunctis tamen liceret reddere si periculum non sit omnino certum et proximum, quia semper abstinere difficillimum esset, et quia quilibet ex motivo virtutis se exponere potest alicui periculo corporali.

II. Cessante in uxore obligatione reddendi debitum, cessat eo ipso et ex eodem motivo ius petendi debitum in viro.

Hinc si uxor vi aut alio medio iniusto cogatur a viro ad reddendum debitum, ipsa haberi potest uti vi oppressa, et vim vi repellere liceret iuxta effatum "Vim vi repellere cum modamine inculptae tutelae, omnes leges permittunt", et hoc etiam cum periculo effundendi semen.

III. Ante aggressionem inceptam, uti pariter ac post aggressionem consummatam, nullus est defensionis locus, cum illata vis quae vi repe'latur nondum sit, vel non extet amplius.

IV. Onanismus uti communiter definitur est copula ita peracta, ut ex semine effuso generatio sequi non possit. Ratione inordinationis actus et cooperationis alterius partis, duplex species onanismi distinguitur: scilicet, aut quando actus copulae naturali modo inchoatur, sed inordinatio inter vel post actum, accedit; ita e.g. si vir ante seminationem se retrahit, et semen effundit, vel si mulier post actum rite factum lotionibus semen expellit vel destruit. Patet in his modis fieri posse ut culpa sit solum ex parte unius. Vel iam ab initio copula inordinationem secum fert, ita e.g. si vir membrum involucro tectum habet, vel ex analogia si mulier os uteri obstruit, illudque postea eicit, vel si media chimica introducit quibus semen sterilizetur.

V. Onanismus semper peccatum gravissimum est, tum quia adversatur fini praecepto et essentiali matrimonii et fidei conjugali, tum quia Deus illum graviter punit, sive quia haec ratio utendi matrimonio est de se destructiva societatis aliaque gravissima consecraria affert.

Merito S. Sedes illum naturali iure prohibitum et intrinsece malum dicit. Verba quae Pius XI in Encyclica "Casti Connubii" sollemniter in signum legationis divinae protulit, magisterium infallibile seu definitionem ex cathedra manifeste exprimunt.

Ex his sequitur, mulieri *conjugatae*, etiamsi copulam non habuerit *voluntarie*, sed vi dolove oppressa fuerit, illicitum esse semen etiam ante conceptionem expellere; esset enim gravis iniuria contra generationem humanam et bonum commune, expellere semen a sede finali a natura ad hoc destinata: Quod aliqui dicunt: in hoc casu, immediate post copulam, antequam conceptio fiat, semen se habere ad modum iniusti aggressoris, quem licet repellere, est verum *durante copulae actione*, non autem copula posita, quia tunc aggressio *cessavit*, et semen iam est in loco suo proprio naturali.

Copula enim *inter conjuges* finitur ipsa introductione seminis in vaginam, quia seminis ejaculatione cessat opus hominis, et incipit opus solius naturae, quo fit ut semen emissum naturali sui propensione sicut et vagina attractione profundius organa feminae penetret ad fecundationem.

Opus autem naturae in humana generatione abrumpere est illicitum. Potest tamen et debet conjux oppressa se agitare et vertere ac omni modo copulam impedire et abrumpere ne semen recipiat, quamvis illud sit effundendum, quia ius et obligationem habet copulam impediendi, et effusio seminis soli malitiae viri adscribenda est. Secus vero dicendum si agatur de muliere *innupta vel uxore ab alieno viro vi oppressa*. Ipsa ante omnia tenetur aggressionem externam repellere quantum potest, etsi exinde semen effundatur. Si verò hoc non potuit, licebit et semen lotione expellere. Et ratio patet ex eo quod in casu mulieris *innuptae migratio spermatis* esset *continuatio iniuriae* a viro commissae, et licebit ei, dum aggressio adhuc extat, si externam aggressionem repellere non poterat, defendere *ovulum suum* contra invasorem; quod dici nequit, ut iam diximus, in casu mulieris conjugatae.

Concludendum ergo Cajum confessarium graviter erravisse et graviter onerata conscientia teneri corrigere errorem in confessione sacramentali commissum, salvo meliori iudicio.

CASUS MORALIS SECUNDUS

Titius confessarius ut tutius agere valeat in animarum directione a te petit consilium super his quae exponuntur, scilicet:—

i) Possumne absolvere Cajum a reservato qui post facultatem a me ad hoc peccatum obtentam, iterum cecidit sub reservatione?

ii) Potestne Bertha adimplere praeceptum paschale quin confessionem annuam sacramentalem praemittat, eo quod, uti ipsa asserit, non habeat nisi venialia, et sine confessione possit accedere ad Communionem?

iii) Armenta Sempronii ducebant famuli ad pascua, eaque sinebant, inscio Sempronio vagari per proximos Tullii campos, unde ingens frugibus damnum subsecutum est; Sempronius in casu teneturne de damnis a suis dependentibus illatis?

RESPONDEO AD PRIMUM:

Cum reservatio peccatorum non sit nisi quaedam lex quae restringit facultatem absolvendi a quibusdam peccatis, facultas absolvendi ab istis peccatis est quaedam relaxatio legis in casibus particularibus. Et ideo in ista relaxatione legis attendenda est ipsa mens legislatoris in concedenda facultate absolvendi in reservatis: Iuxta principium: Lex tantum obligat quantum mens legislatoris vult obligare, et mens legislatoris exprimitur per verba, et ideo tantum valet lex, quantum verba sonant. Concessio autem istius facultatis, seu verba quibus exprimitur ista facultas censetur facta secundum petitionis tenorem.

Hinc responsio ad casum pendet a modo quo tu, confessarius petisti facultatem; aliis verbis, si licentiam petisti pro uno peccato reservato, specie determinato, et quidem pro peccato iam commisso, mihi videtur nova facultas requiri ad absolvendum tuum poenitentem ab alio peccato reservato, etsi eiusdem specie, in quod poenitens relapsus est, et ratio est, quia licentia a te obtenta, tantum valet quantum sonant verba quibus postulatum aut indultum exprimitur. Ita Ligorius, 601; Lacroix, 1692; Lugo, 122.

RESPONDEO AD SECUNDUM:

Ad normam canonis I. C. 906: "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, id est, ad usum rationis

pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri."

Fundamentum istius praecepti iuris ecclesiastici habetur in alio praecepto sumendi semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum. Et cum status gratiae ex iure divino requiritur, ne sacramentum vivorum suo effectu frustretur, ad suscipiendam Eucharistiam non sufficit statum gratiae sibi comparare per contritionem, sed ex praecepto iuris ecclesiastici, praemitti debet sacramentalis confessio. Sic enim habet canon I.C. 856: "Nemo quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram communionem accedat." Cum autem qui laboret tantum peccatis venialibus, adhuc invenitur in statu gratiae, praecepto annuae confessionis tenentur solum ii, qui expiandum habent aliquod peccatum mortale. Ergo tu confessarius Berthae interroganti, responde: negative. Sed quis pius fidelis, qui sola venialia commisit, toto anno confiteri negligat? Suade ergo Berthae ad confessionem sacramentalem saepe saepius accedere, ut securius possit sese conservare in statu gratiae, et uberiores fructus tantj sacramentj Eucharistiae recipiat. Ita omnes.

RESPONDEO AD TERTIUM:

Cum nemo teneatur de actionibus suis et earum effectibus, nisi sint voluntariae et liberae, actus non voluntarius *per se* nullam obligationem importat. Actio enim damnificativa quae non est *formaliter* culpabilis, secundum hoc non est voluntaria et libera. Ergo *per se* non importat obligationem restitutionis, seu reparandi damna; restitutio enim est ad instar poenae; poena autem supponit culpam. Duplex tamen a moralistis distinguitur culpa a) moralis et in conscientia (ab aliis vocatur theologica) et coram Deo, quae ex deliberatione rationis et libero consensu voluntatis procedit; b) iuridica et coram lege civili, quae oritur ex omissione diligentiae debitae a lege requisitae; et ideo adesse potest sine negligentia vere culpabili, quo casu dicitur culpa mere iuridica. Lex tamen maiorem diligentiam ob bonum commune requirens est iusta et ideo servanda, quia omnibus civibus pariter favet in securitatem dominiorum, et homines vigilantiores reddit ne damnum aliis inferant.

Hinc ad obligationem restitutionis iudicandum in conscientia *per se* requiritur vera culpa *moralis*, *per accidens* aliquando

sufficit culpa *mere iuridica*, et hoc fit post sententiam iudicis ad restitutionem cogentis et etiam ex contractu explicito vel implicito ratione specialis obligationis quam aliquis in se assumpsit damnum reparandi in quocumque casu, etiam sine culpa morali.

Hisce positis respondeo ad casum: Negative: Nam Sempronio inscio, famuli ducebant armenta eius et ea sinebant vagari et ingens damnum frugibus inferre. Actio in casu damnificativa nullo modo dici potest voluntaria ac deliberata ex parte Sempronii, iuxta adagium "Nil volitum quin praecognitum", et ideo cum desit culpa moralis in Sempronio, adesse nequit in eo obligatio moralis reparandi damnum, ante sententiam iudicis. Post vero sententiam iudicis, cum scilicet probata fuerit culpa iuridica, Sempronius tenetur *in conscientia* ad restitutionem, uti supra dixi, de damnis a suis dependentibus illatis, et nec licite postea recurrere ad compensationem occultam, quia sententia iudicis in casu est iusta ob bonum commune.
